

nisi ratione præsentiæ, ut fructus et signa fidei, sequeretur, fidem salvare posse, etiam si careret omni bono opere, et conjuncta esset omnibus vitiis et peccatis: hoc autem consequens est manifeste falsum, et Scripturis, ac rationi repugnat; igitur fides sola non salvat, et necessaria sunt opera bona, non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione alicujus efficientiæ.

Propositio argumenti, quæ conditionata est, probatur hoc modo, opera non requiruntur in actu salvandi nisi per accidens, nullam enim ipsa vim salvandi habent, neque addunt fidei, neque tollunt a fide vim, quam habet salvandi, ut adversarii contendunt, igitur bonis omnibus operibus sublatis, adhuc fides salvaret. Quemadmodum enim quia ignis solo calore calefacit, si tollerentur ab igne omnes aliæ qualitates, quæ per accidens sunt cum calore conjunctæ, adhuc sine dubio calefaceret: et quoniam pater sola relatione paternitatis refertur ad filium, si ab eo, qui pater est, omnia alia attributa removerentur, ut scientia, nobilitas, potestas, sanitas, pulchritudo, et contra adderetur ignorantia, obscuritas, debilitas, ægritudo, deformitas; et ex prioribus attributis sola paternitas remaneret, adhuc pater ille referretur ad filium. Ita prorsus quia Christianus per solam fidem salutem apprehendit, atque ad eam refertur per adversarios, certe sequitur, ut manente fide salvari possit, etiamsi nulla habeat opera bona et multa habeat opera mala.

Neque respondere debent, nostram hypotheseim esse impossibilem; tum quia probavimus in 1. lib. vere posse fidem ab operibus separari, non solum ratione, sed etiam re: tum quia satis nobis hoc loco est ad hypotheticam propositionem statuendam, fidem posse intelligi sine bonis operibus, atque ab eis si non re, saltem ratione separari. Posse autem fidem intelligi sine operibus, et ab eis saltem ratione separari, adversarii negare non possunt, quippe qui dicunt, fidem et opera ita se habere ut causam et effectum, ut arborem et fructus, ut ignem et calorem. Quidni enim intelligi possit causa sine effectu, arbor sine fructu, prius sine posteriore? Vera igitur est argumenti propositio ita conditionata: si fides sola salvaret, id præstaret, etiamsi bonis omnibus operibus esset vacua, et cum omni genere vitiorum conjuncta.

(1) Rom. II, 9; 1 Cor. VI, 9; Gal. V, 19; Eph. V, 5.

Assumptio ejusdem argumenti, quæ docet, fieri nullo modo posse, ut fides bonis operibus destituta, et malis operibus comitata, hominem salvet, ab adversariis non negatur, et si negaretur, in promptu esset probatio, cum scriptum sit: *Tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum, Judæi primum et Græci: gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco*, Rom. 2. Item: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, 1 ad Corinth. 6. Item: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc., quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, Galat. v. Denique ut aliam multa præteream: *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*, Ephes. v (1).

Sequitur igitur conclusio, necessaria esse ad salutem opera bona, non solum ratione præsentiæ, sed etiam alicujus efficientiæ, et non minus opera, quam fidem, ad salutem suo modo referri. Atque hæc de necessitate operum hoc loco sufficiunt. Nam argumenta contraria nulla sunt, præter ea, quæ solvimus in primo libro, cum disputarem de fide non sola justificante, et quæ solvemus paulo post in quæstione de justitiæ veritate in operibus bonis.

CAPUT X.

Proponitur quæstio de veritate justitiæ operum, et sententiæ referuntur Hæreticorum et Catholicorum.

Sequitur altera quæstio de justitia actuali, quæ est de veritate justitiæ actualis, sive operum. Est autem hic controversiæ status: « Utrum homines justificati, et gratia Domini adjuvante, possint ita legem divinam implere, ut opera ipsorum non modo non sint appellanda peccata, sed etiam vere ac proprie justa dici mereantur ».

Et quidem Hæretici hujus temporis par-

tem negantem defendunt. Docent enim, legem divinam esse plane impossibilem homini, etiam justo, et inde colligunt, nullam esse in nobis veram actualem justitiam, sed omnia opera justorum esse peccata mortalia ex natura sua. Ita Lutherus docet in lib. de libertate Christiana: « Æque, inquit, nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud unum: non concupisces ». Idem in assert. artic. 2. 31. 32 et 36, aperte scribit, omnia opera hominis justii esse peccata mortalia.

Idem habet Joannes Calvinus lib. 3. Institut. cap. 14. §. 9. « Nullum, inquit, a sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem ». Idem etiam in Antidoto Concilii sess. 6. cap. 11. sic ait: « Non sunt tantopere exagitandi, qui dixerunt quælibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æterna potius damnatione, quam vitæ præmio digna esse ». Ibidem disputat contra id quod habet Concilium, legem Dei non esse impossibilem. Et in lib. 2. Institut. cap. 7. §. 5. ex instituto probat, ne sanctis quidem possibilem esse legis impletionem, præsertim quod attinet ad illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et illud: *Non concupisces*.

Idem habet Philippus in locis anni 1521. tit. de peccato: « Consequitur itaque, inquit, omnia hominum quantumvis laudabilia opera, plane vitiosa esse, et morte digna peccata ». Idem habet in Confessione Augustana, art. 6. et in Apologia tit. de impletionem legis, et in locis, tit. de libero arbitrio.

Kemnitius in Examine Concilii, more suo fraudulentè agens, videtur admittere, legem Dei per gratiam posse servari, modo non addatur, perfecte. Nam reprehendens, cap. 11. sess. 6. accusat Patres Concilii, quod non explicaverint, an lex Dei posset impleri perfecte, an inchoate: « Nam posse per gratiam legem impleri, non est, inquit, ipse, controversia ». Et ibidem: « Persuasio, inquit, quæ renatorum operibus bonis in hac vita tribuit perfectionem, facit Christum post primam reconciliationem otiosum ». Ubi si existimaret Kemnitius, non posse legem impleri ita perfecte, ut justii in tota vita non admiscerent operibus bonis ulla peccata venialia, nobiscum sentiret, et cum ipso Concilio, ut patet ex illo ipso cap. 11. sess.

(1) Matth. XI, 30; Joan. V, 3.

6. sed non hoc sensu negat ille perfectionem operibus justorum, sed quia cum cæteris sectariis censeat, non posse ita legem impleri, ut opus simpliciter justum appellari queat. Imperfectam enim dicit esse nostram observantiam legis, quia judicat eam contaminatam et immundam. Unde approbat dictum Lutheri, quod omnia opera justorum sint vere peccata.

Porro Catholici omnes summa consensione contrarium docent. Fatentur enim primo, legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrii, ut Hæretici calumniantur nos dicere, sed per auxilium gratiæ Dei, et spiritum fidei et charitatis in ipsa justificatione nobis infusum.

Secundo, opera justorum simpliciter, et absolute justa, et suo etiam modo esse perfecta, quamvis non ea perfectione, quin crescere possint, et quin (ut paulo ante dixi) non admisceantur interdum operibus bonis aliqua opera mala, non quidem mortifera, sed venialia, quæ non impediunt, quo minus justii maneant, qui justii erant. De qua re disseruimus in 1. lib. de statu peccati.

Tertio, operibus justis hominem vere justificari, non prima, sed secunda justificatione, quæ non facit justos ex impiis, sed justiores ex justis. Hæc tria habentur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 10 et 11, et nos eadem tria in sequentibus capitibus, Domino adjuvante, probabimus.

CAPUT XI.

Legem Dei esse possibilem probatur ex divinis litteris.

Legem igitur Dei esse possibilem, probamus primo iis testimoniis, quibus utitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. quæ non solum possiblem, sed etiam faciliam testantur esse mandata, Matthæi XI. *Jugum meum suave est, et onus meum leve*. Et in I Joan. v: *Et mandata ejus gravia non sunt* (1).

Respondent, Calvinus in antidoto, et Kemnitius in Examine, legem Dei vocari jugum suave et onus leve, et mandata non gravia, quoniam renatis non imputatur prævaricatio. Christus enim nos liberavit de maledicto legis, ut dicitur ad Galat. III. et nihil damna-

tionis est his, qui sunt in Christo Jesu, ut dicitur ad Roman. VIII.

At hæc solutio non tollit, nec minuit vim argumenti, nam in primis vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita ut prævaricator non incurrat reatum; vel tollit reatum ex prævaricatione contractum. Si tollit obligationem, facit, ut lex non sit lex, et jugum non sit jugum. Proinde Scriptura falso dicit, legem esse jugum suave, et mandata non esse gravia. Neque enim sine obligatione lex esse potest.

Si vero permittit contrahi reatum, sed contractum postea tollit, tunc non facit jugum esse suave, neque onus leve, immo ostendit jugum esse durissimum, et onus gravissimum, quippe quod portari non potest. Certe si boves sub jugo ad singulos passus caderent, etiamsi aratoris industria continuo resurgerent, non tamen propterea diceretur jugum eorum suave, et onus leve. Domini autem et Apostoli verba indicant, legem Dei esse jugum, quod facile portatur, et mandata ejus non esse gravia, sed parvo negotio custodiri, quod evidentius expressit David sub metaphora via, cum ait in Psalm. CXVIII. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Et Apostolus ad Philippen. IV. *Omnia possum in eo, qui me confortat* (1). Ubi vides dilatationem cordis per infusam charitatem et gratiam Domini confortantem efficere, ut mandata facile conserventur. Quod multo ante futurum prædixit Ezechiel cap. XXXVI. cum ait: *Spiritum ponam in medio vestri, et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis* (2).

Et hoc idem confirmant loca, quæ illi contra adducunt. Nam Christus liberavit nos de maledicto legis, quia fecit ut mandatum impleremus, et nulla damnatio est his, qui sunt in Christo, non quia non imputatur prævaricatio, sed quia ii non secundum carnem ambulant, et quia per gratiam Dei fit, ut justificatio legis impleatur in ipsis, ut ibidem subjungit Apostolus.

Secundo probatur ex testimoniis, quæ docent mandata servari ab his, qui diligunt, ut etiam Concilium in eodem loco argumentatur. Joan. XIV: *Qui diligit me, sermonem meum servabit*. Roman. XIII: *Qui diligit proximum, legem implevit*. Galat. V: *Omnis lex in*

(1) Psal. CXVIII, 32; Phil. IV, 13. — (2) Ezech. XXXVI, 27. — (3) Joan. XIV, 24; Rom. XIII, 8; Gal. V, 14. — (4) Joan. VIII, 35. — (5) Joan. XV, 14, 12. — (6) Deut. XXX, 6. — (7) Gen. VI, 9; ibid. XVII, 1; Mat. V, 48; ibid. XIX, 24; Phil. III, 15; I Joan. II, 5.

uno sermone impletur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (3). At certe debemus et possumus diligere Deum et proximum, alioqui non possumus esse Christi discipuli, cum ipse dicat Joan. XIII. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (4). Nec possemus unquam amici Christi fieri, si non possemus diligere. Ipse enim ait Joan. XV: *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* (5). Quid autem præcipiat, explicat ibidem dicens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*.

Ad hoc argumentum respondent Calvinus, et Kemnitius, locis notatis, eum, qui diligit, legem implere, sed neminem esse qui diligit sicut oportet, ut præcepto divino satisfiat. Hic enim inchoatam tantum esse dilectionem, non perfectam.

At nos fatemur dilectionem in hac vita imperfectam esse, quia potest crescere, et quia major erit in patria: tamen non posse esse etiam tam perfectam, ut præcepto adimplendo sufficiat, omnino negamus. Nam in primis (ut diximus) non possemus esse Christi discipuli et amici, nisi hoc præceptum dilectionis impleremus. Valde autem absurdum est, neminem esse posse Christi discipulum, vel amicum.

Deinde nihil Deus requirit, cum dilectionem præcipit, nisi ut diligamus ex toto corde: at hoc non solum posse fieri, sed etiam fuisse futurum in statu Testamenti novi testatur Scriptura Deut. XXX. *Circumcidet, inquit Dominus, cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua* (6). Denique Scriptura docet, homines posse esse perfectos in hac vita ac per hoc vere, perfecteque diligere: charitas enim est vinculum perfectionis. Genes. VI. *Noe vir justus fuit atque perfectus*. Gen. XVII. *Ambula coram me et esto perfectus*. Matth. V. *Estote perfecti*. Matth. XIX. *Si vis perfectus esse*. Philip. III. *Quicumque perfecti sumus*. I Joan. II. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est* (7).

Porro Philippus Melanchthon in Apologia, titulo de impletionem legis, in solutione argumentorum, videtur concedere, posse diligi proximum, sed negat ab eo, qui diligit proximum, legem impleri. Stultum enim esse

dicit, somnare, quod dilectio proximi justificet coram Deo, et legi divinæ satisfiat. At hoc est negare Verbum Dei expressum. Quid enim apertius scribi potest, quam, qui diligit proximum, legem implevit?

Tertio probatur ex testimoniis, quæ docent, aliquos servasse mandata, ac præcipue de dilectione ex toto corde, et de non concupiscendo. Psalm. CXVIII. inquit David: *In toto corde meo exquæsi te*. Et de eodem dicitur lib. III. Reg. XIV. *non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo*. Et Actor XIII. *Inveni, inquit, David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet* et III. Reg. cap. XV. *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ*. Item de Josia lib. IV. Reg. cap. XXIII: *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum omni corde suo, in tota anima sua, et in universa virtute sua*. Item de Asa, et populo lib. II. Paralip. cap. XV: *In tota voluntate sua quæsierunt Dominum, et invenerunt*. Item de Josue in ejus lib. cap. XV. *Sicut præceperat Dominus, Mosi servo suo, ita præcepit Moses Josue, et ille universa complevit. Non præterit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod jussisset Dominus Mosi* (1).

Neque dubium est, quin similia dici possint de Abraham, de Mose de Samuele, de Helia, de Helisæo, Isaia, Hieremia, aliisque Prophetis. In Testamento novo legimus Luc I. de Zacharia et uxore: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* (2).

De Apostolis Dominus ait Joan. XVII. *Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt*. Eisdem etiam vocat amicos, Luc. XII. *Dico autem vobis amicis meis*. Et Joan. XV. *Vos autem dixi amicos* (3). Et tamen ibidem jam dixerat, solos amicos esse, qui præcepta custodiunt.

Apostolus vero Paulus ad Roman. VII. de præcepto, Non concupisces, verba faciens: *Quod nolo, inquit, facio, si autem quod nolo facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (4). Ubi aperte demonstrat, se non peccare, dum invitus concupiscit, quia non ipse illud opus facit,

proinde servare se legem, quæ cum jubet, non concupisces, voluntati præcipit, ne velit concupiscere, non sensui, qui legis capax non est. Unde ibidem addit: *Ego ipse mente servio legi Dei*. At si mente serviebat legi, certe non peccabat non enim peccatum esse potest nisi in mente, aut cum aliquo mentis consensu. Quod autem de Apostolis legimus, ambigi non potest, quia etiam de Joanne Baptista dici possit, cum inter natos mulierum non surrexerit major Joanne Baptista. Habemus igitur multos servasse legem Dei, ex quo evidenter sequitur, ut non sit impossibilis.

Neque ad hoc argumentum applicari potest communis Lutheranorum solutio, quod sancti Patres mandata servasse dicantur, tum propter inchoatam obedientiam, tum propter non imputationem Dei. Non enim dici potest, absolute implere mandatum, sed potius absolute prævaricari, qui tam imperfecte illud servat, ut peccet mortaliter, et dignus sit propter illud opus odio, et ira Dei, et supplicio sempiterno. Scriptura autem dicit, illos absolute servasse, immo etiam toto corde servasse, addit etiam Ezechias, Isai. XXXVIII. *se in veritate et in corde perfecto ambulasse coram Deo*. Et non esse mentitum, testis fuit Deus, qui eum exaudivit. Et si Ezechias corde perfecto coram Domino ambulavit, quis id negabit Abrahamo, cui dictum est: *Ambula coram me, et esto perfectus*? Quis idem negabit Davidi, Mosi, Helia et similibus, quibus Ezechiam præferre nemo sanus audeat?

CAPUT XII.

Legem Dei non esse impossibilem, probatur ex Patribus.

Accedat traditio Ecclesiastica. Habemus in primis Concilium II. Arausicanum Canon. ult. ubi sic legimus: « Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ».

Origenes homil. 9. in Josue prope finem, mulieribus comparandos censet eos, qui dicunt, se Dei mandata servare non posse.

(1) Psal. CXVIII, 10; III Reg. XIV, 8; Act. XIII, 22; III Reg. XV, 5; IV Reg. XXIII, 25. II Paral. XV, 15. Jos. XV, 15. — (2) Luc. I, 6. — (3) Joan. XVII, 6; Luc. XII, 4; Joan. XV, 15. — (4) Rom. VII, 16.

S. Basilius orat. in illud: « Attende tibi », non procul ab initio: « Impium, inquit, est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta ».

S. Joannes Chrysostomus homil. 8. de pœnitent. circ. med. « Nequaquam, inquit, Dominum accuses, haud mandat impossibilia. Multi et ipsa superant præcepta ». Similia habet homil. 19. in epist. ad Hebr. homil. 39. in Matth. et homil. 2. in epist. ad Philip.

S. Cyrillus lib. III. contra Julianum circa medium, ipsum etiam præceptum: Non concupisces, quod omnium difficillimum judicatur, dicit, impleri posse per gratiam.

Ex Latinis S. Hilarius in Psal. 118. tractans illud: *Latum mandatum tuum nimis*; « latum, inquit, mandatum Dei est, et in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Domini obtemperare ».

S. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos prope initium: « Deus, inquit, possibilia mandavit, hoc nulli dubium est ». Idem in comment. ad cap. 5. Matt. prope finem: « Multi præcepta Dei sua imbecillitate mentientes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt ». Et: « Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit David, etc. ».

S. Augustinus lib. de natura et gratia, cap. 43: « Non igitur, inquit, Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis ». Ubi docet, mandata omnia esse possibilia, sed alia immediate, alia mediate, id est, mediante oratione.

Hoc testimonium Concilium Tridentinum citavit, vel potius suum fecit sess. 6. cap. 11. Ideo respondet Kemnitius, Augustinum fuisse vexatum a Pelagianis ista quæstione, essent ne Dei præcepta possibilia, et ad cavendam invidiam abstinuisse a voce impossibilitatis, interdum etiam concessisse esse possibilia, sed sine præjudicio veritatis. Nam in libro de perfectione justitiæ resp. 16. dicit Augustinus, non esse quæstionem, an possit homo vitare omnia peccata, sed quando, et per quem. Potest enim vitare, sed in alia vita, non in ista et per gratiam, non per naturam, quod est idem, ac si dixisset, legem esse possibilem, sed in cœlo, non in terris, post mortem non in vita. Item in lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 7. dicit, gratiam Dei dedisse homini studium præcepta servandi, et eandem gratiam ignoscere, si

quid minus fit. Quibus verbis videtur S. Augustinus dicere voluisse, mandata non esse impossibilia, non quod impleri possint, sed quia quod non impletur, indulgetur.

At Kemnitius confundit more suo duas quæstiones, utrum præcepta servari possint, et an possit homo vivere absque peccato. Istæ enim quæstiones adeo diversæ sunt, ut ad priorem semper Augustinus responderit affirmando, ad posteriorem responderit semper negando. Peccata enim venialia non sunt contra, sed præter mandata, et etiamsi essent contra mandata, non tamen necesse est, ut in quolibet opere peccatum veniale admisceatur. Itaque sanctus Augustinus constanter docet, non posse hominem in hac vita cavere omnia peccata venialia, lib. de natura et gratia, cap. 34. de spiritu et littera, cap. ult. lib. 1. ad Bonifacium contra duas epist. Pelagianorum, cap. 14. in epist. 89. et 95. et in toto libro de perfectione justitiæ.

Atque hoc modo intelligitur, quod objicit Kemnitius ex libro de perfectione justitiæ, non enim Augustinus dicit, mandata servari posse in cœlo, non in terra, sed in cœlo non in terra habituros nos eam perfectionem, ut vivamus omnino absque peccato, etiam veniali. Immo in altero loco nobis objecto, id est, in lib. 3. ad Bonifacium, cap. 7. cum Pelagiani colligerent ex sententia Augustini id, quod nunc Kemnitius colligit, legem videlicet in cœlo impleri posse, non in terra, respondit Augustinus, valde illos errare, præcepta enim ad hanc vitam, non ad aliam pertinere: « Hic, inquit, præcipitur nobis, ut diligamus, ibi autem diligere non obedientia, sed felicitas erit ».

Quod autem ibidem subjungit, gratiam Dei præbere studium ad implenda mandata, et indulgentiam, si quid minus impletur, non arguit præcepta esse impossibilia, sed hominem non esse impeccabilem. Sensus enim eorum verborum est, ex gratia Dei hominem habere, ut velit, et studeat implere mandata. Quod si forte aliquando labatur et non impleat, ex gratia item indulgentiam esse sperandam.

Jam vero quod S. Augustinus ad priorem quæstionem semper respondeat affirmando, hæc loca testantur. Lib. de natura et gratia cap. 69: « Eo ipso quod firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid

petamus. Omnia quippe facilia fiunt charitati, cui uni Christi sarcina levis est ». Lib. II. de peccat. merit. et remiss. cap. 3: « Non præciperet Deus aliquid, quod esset humanæ impossibile voluntati ». Et in eodem lib. cap. 6: « Dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum et adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse ». Lib. de gratia et libero arbitrio cap. 16: « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri, quis hoc nescit? In Psal. LVI: « Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret ».

CAPUT XIII.

Legem Dei non esse impossibilem, probatur rationibus.

Accedant postremo etiam rationes. Prima ratio, potest homo facere plus quam Deus præcipiat, igitur multo magis potest implere præceptum. Posse autem fieri plus quam Deus præcipiat, testatur Dominus Matth. XIX. qui posteaquam dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et quidam responderat, *hæc omnia servavi a juventute mea*; Rursus eidem ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, etc.* (1).

Testatur quoque S. Joannes Chrysostomus loco citato hom. 8. de pœnitentia: « Multi, inquit, et ipsa superant mandata ».

Testatur denique S. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: Non grande onus impositum est virginibus, major amor imposuit majus onus, tamquam dicerent, quid jubes? ne adulteræ simus hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis ».

Secunda ratio si præcepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non essent præcepta. Neque enim fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitare non potest. Quod si non peccat, qui legis transgressionem vitare non potest, profecto nec legem transgreditur, nec legem ullam habet. Non enim fieri potest, ut legis transgressio non sit peccatum, cum nihil sit aliud peccatum, nisi transgressio legis.

Tertia, si lex Domini esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem et stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, et leges ferret, quas sciret a nemine observandas. Quod vero Philippus et Kemnitius dicunt, non esse audiendam politicam justitiam, quæ docet, nihil præcipi posse aut debere, quod servari non possit, fortasse locum haberet, nisi huic justitiæ politicæ, vel potius rectæ rationi Scripturarum et Patrum testimonia consentanea non haberemus. At cum politica in hac parte mirifice cum divinæ Scripturæ auctoritate consentiat, quid ni rationem politicam potius, quam Lutheri delirationem audiamus.

Quarta ratio, *Christus passus est, ut justificatio legis impleretur in nobis*, ut dicitur ad Roman. VIII. Item docuit nos orare: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (2), Matth. VI. ubi petimus gratiam implendi præcepta, ut exponunt S. Cyprianus in sermone de oratione Dominica. Et S. Augustinus lib. III. ad Bonifacium cap. 7. Denique *Christus factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ*, Hebr. V. (3). At si lex impleri non potest, Christus non obtinuit quod voluit, frustra nos oramus quotidie, et nemo omnino salvari poterit. Nam si lex impleri non potest, justificatio legis numquam impletur in nobis, etiamsi Christus venerit in similitudinem carnis peccati, et de peccato, id est, victima pro peccato, damnaverit peccatum, nec fit unquam Dei voluntas in terra, sicut in cœlo, etiamsi Christo magistro freti hanc orationem assidue frequentemus, nec unquam vere obedimus Christo, ac per hoc nulli nostrum erit causa salutis æternæ.

Quinta ratio, omnes vere justificati Spiritum sanctum habent, ut Scripturæ passim testantur, Rom. V. et VIII. I Corinthios III. Galatas III, Titum III, et alibi. At Spiritus sanctus fructus suos parit, qui numerantur ad Galat. V: *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Qui vero hos fructus habet, non accusatur a lege, quippe qui eam non prævaricatur, sed implet. Idem enim significat quod in eodem loco subjungitur, *adversus hujusmodi non est lex*. Non enim lex habet,

(1) Math. XIX, 17.—(2) Rom. VIII, 4; Math. II, 10.—(3) Heb. V, 9.—(4) Gal. V, 22.—(5) Rom. VIII, 2.